

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0510

0508

0514

0504

0519

0499

0559

0459

0609

0409

1009

0009

Ende

Anfang

495

periculis in cacumen montis pervenerunt; quo cum venissent, invenerunt corpus integrum virginis in loculo petrae oleo pleno mirabiliter collocatum et non dubitabant, quin iste esset thesaurus eis promissus, sed quis esset, aut cuius meriti, penitus ignorabant. Prostraverunt ergo se per circuitum corporis rogantes Deum, ut ostendere dignaretur Sanctae illius nomen et meritum. Et ecce, ipsis orantibus adscendit ad eos per rupes alias anachoreta senex dicens: Ecce, fratres, me misit Dominus ad vos, manifestare nomen, vitam, meritum et gloriam hujus sanctissimae virginis, et exorsus est, dicens eis ortum virginis et nomen, genus, conversionem, passionem, locum passionis et nomen judicis et tempus, mortem ejus et mirabilem translationem corporis ejus huc et angelorum custodiam sedulam usque in hanc diem. Deinde monachus ille praecepit, ut inde tollerent corpus et in monasterium sanctae Mariae ad Rubum portarent illud, quia futurum esset, ut homines de extremis partibus mundi venirent ad visitandum sacras reliquias. Hoc dicto monachus ille deosculans sacra ossa per scopulos repente dilapsus deorsum cursum recepit et in suum hominibus incognitum specum reversus est nec umquam amplius visus est.

Acceperunt ergo monachi illi corpus S. Catharinae cum magna reverentia et deportaverunt illud in ecclesiam S. Mariæ ad Rubum et sarcophago marmoreo facto imposuerunt, sicut hodie cernitur et ab universis Christi fidelibus longe lateque per orbem dispersis quaeritur cum vitae periculo et maximis laboribus et grandissimis expensis; unde quidam Papa sub pena anathematis hanc peregrinationem prohibuit in singulari propter viae arcitatem et pericula. Peregrinatio autem Ierosolymita proibita est solum propter Saracenos; est enim eadem peregrinatio respectu illius quaedam recreatio et spatiamentum. Dum ergo circa sepulchrum S. Catharinae expediti essemus, processimus de choro ad capellam S. Johannis Baptiste, in qua sunt plures reliquiae et magnae indulgentiae. In ea ergo oratione ad S. Johannem directa indulgentias recepimus (†). Finito officio illius capellae in ea resedimus omnes et jussu sacristae calceamenta pedum nostrorum solvimus et nudipedes in aliam capellam huic annexam ingressi

